



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. XXIII. De novorum Monasteriorum ædificatione, & antiquorum translatione; & quorum ad id autoritas requiratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

fundamentum petitur ex eo, quod pensionarius ex constitutione Pij V. tenetur recitare parvum officium B. Virginis: & per consequens ei acquiri debet pensio pro rata servitij, & vitæ, qua durante officium recitavit; maxime cum pensiones istæ sint ad instar alimentorum, quæ debentur ad ratam temporis, quo vita alimentarij duravit. Et ejusdem sententiæ fuit Covar. lib. 1. var. resol. cap. 15. num. 13. Peregr. de fideicom. artio. 49. num. 101. apud quos alij citantur.

Alij tamen existimant, ratam temporis considerandam & computandam esse, non ad proportionem temporis quo pensionarius vixit: sed ad ratam fructuum per beneficiarium, qui pensione oneratus est, perceptorum; ita ut si pensio fuerit imposita tam super fructibus, quam super distributionibus; attendi debeat quantum de fructibus percepit, vel propter illorum maturitatem percipere debuerit, aut potuerit, beneficij pensione onerati possessor. Similiter & quantum ex aliis emolumentis & distributionibus, super quibus pensio imposita est, & ad ratam & proportionem illorum, pensio heredibus pensionarij sic adjudicanda. Et ita censuit Caccialup. in tract. de pensionib. quest. 25. Gigas in eod. tract. quest. 53. Cost. d. quest. 10. numero 4. Honded. conf. 85. num. 23. & seq. vol. 2. Tusc. lit. P. conclus. 267. numero 8. & 9. & egregie Monald. conf. 107. per tot. ubi ostendit integram pensionem deberi heredibus pensionarij, si ipse mortuus fuerit eo tempore, quo beneficium pensione oneratum possidens, percepit integram fructuum recollectionem. Et hæc posterior sententia sequenda est, cum eam tandem sequuta fuerit post longum examen Rot. Rom. apud Duran. decis. 448. per tot. ubi omnes pro utraque sententia rationes optime discutuntur. Et ideo concluditur ibidem, quod cum pensionarius obiisset die 25. Octobris, quo tempore fructus omnes in illis partibus erant recollecti; integra pensio totius anni debebatur heredibus pensionarij, & sic integer terminus, qui solvendus erat in die Natalis Domini.

Hæc tamen decisio non ita clarè questionem resolvit, quin adhuc remaneat scrupulus; nempe quomodo computari debeat annus iste, vel à mense Januarij, vel à tempore recollectionis fructuum; videlicet ab una recollectione ad aliam, vel à die datæ impositionis pensionis; & prout in diverso casu, de varia anni computatione agit Munnoz in tract. de ratiocin. comput. 21. num. 7. & 8. & comput. 26. numero 9.

Sed clarè difficultas hæc explicatur apud Cavaler. decis. 129. nempe quod annus debeat inchoari à die quo pensio fuit imposita: cui decisioni non resistit Duran. d. decis. 448. quia in casu istius decisionis pensio fuerat imposita die 10. Maij, & sic totius anni pensio debebatur: cum supponeretur in facto, quod tempore mortis pensionarij, qui è vivis excesserat die 25. Octob. anni 1632. omnes fructus totius anni usque ad 10. Maij anni 1633. omnino percepti fuerant per illius beneficij possessorem. Quod convenit resolutioni factæ d. decis. 129. eoram Cavaler. de computando anno à die reservatæ pensionis, prout in casu sibi proposito, in quo reservatio pensionis super Episcopatu Carpentoracensi, facta fuerat in favorem Eminentissimi quondam Cardinalis Baronij die 23. Septemb. At verò Cardinalis mortuus fuerat die 29. Junij. Et sic post paucos dies à tempore maturitatis Sancti Joannis Baptiste: ideo Rota resoluit deberi pensionem heredibus Domini Cardinalis, pro rata fructuum perceptorum à die 23. Septemb. 1606.

usque ad diem 29. Junij 1607. quo die mortuus est Cardinalis. Intelligitur itaque tota perceptio fructuum finita die reservatæ pensionis, & sic cum recollectio granatorum non esset facta die 29. Junij, vindemia autem jam fuissent finitæ die 23. Septemb. ann. 1606. qui erat annus mortis à 23. Septembris computandus, parva admodum quantitas pensionis fuit heredibus Domini Cardinalis adjudicata. Quod applicando ad casum propositum, conclusum fuit pensionem dumtaxat heredibus pensionarij deberi, ad ratam fructuum perceptorum à die 7. Novembris, necnon distributionum, & emolumentorum Canonicatus, super quo pensio fuerat reservata.



CAPUT XXIII.

De novorum Monasteriorum ædificatione, & antiquorum translatione, & quorum ad id autoritas requiratur.

SUMMARIUM

- 1 Mendicantes non possunt nova loca acquirere, sua sedis Apostolicæ licentia.
- 2 Quid circa novorum monasteriorum erectionem servetur in Gallia.
- 3 Excommunicatio contra alienantes domos regulares, quomodo intelligenda.
- 4 Erectio novorum monasteriorum, quomodo faciunda ex Concilio Tridentino.
- 5 Privilegia nova monasteria ad libitum erigendi, sunt hodie revocata.
- 6 Monialium monasteria erigi nequeunt sua licentia sedis Apostolicæ, & Episcopi.
- 7 Translatio Monasterij ad locum salubriorem, quædam oppidi, non exigit sedis Apostolicæ licentiam; sed sufficit consensus Ordinarij.
- 8 Episcopus ex causa mutare potest defuncti voluntatem, consentiente fundatore, vel ejus heredibus; aut etiam ipsis negligens.
- 9 Quomodo intelligi debeat privilegium mendicantibus concessum, quo nova monasteria non erigantur in loco non distante per 300. casus.
- 10 Præjudicium quod oritur ex sepulchris & missis, non est considerabile in materia erectionis novorum monasteriorum.
- 11 Translatio monasterij fit cum omnibus bonis ad illud spectantibus.

Notandum est in primis Bonifacij VIII. Pontificis Maximi constitutione cautum esse in cap. cum ex eo, de excess. prelat. in 6. ne Religiosi mendicantes, tam prædicatores, quam minores, aut alij nova monasteria habere aut acquirere, vel acquisita seu recepta transferre seu alienare possint sine speciali sedis Apostolicæ licentia: non obstantibus quibuscumque eorum privilegiis. Quam constitutionem postea Clemens V. in Concilio Viennensi renovavit, adjecta etiam excommunicationis poena in clement. cupientes, de penis. & Quæ censetur etiam in Gallia servanda est, teste Chopin. lib. 1. monastic. tit. 3. numero 11. qui allegat etiam ad hoc constitutionem Gregorij X. in cap. unic. §. con-

firmata, de Religios. dom. in 6. & Agathense Concilium in cap. de monachis, 18. quæst. 2. Servanda inquam est in Gallia, ex eodem autore, quoad monasteria non mendicantia; mendicantibus enim à summo Pontifice concessa privilegia, in Gallia admilla & executioni demandata fuisse testatur, favore Reverendorum Patrum de Observantia ordinis Sancti Francisci, qui vulgò Recollecti nuncupantur: & liberam ipsis in vim privilegij Pontificij, adium concessam fuisse structuram: quibus suas etiam partes Christianissimus Rex postmodum accommodavit: quod fusiùs idem Author prosequitur, & varia circa novorum monasteriorum ædificationem arcta Senatus eodem loco refert, quæ hîc transcribere superflui laboris esset.

3 Verùm & hoc secundo loco notandum est, constitutionem illam Concilij Viennensis, de domibus antea receptis duntaxat mentionem fecisse; & ideo ad domos post illius Concilij celebrationem, nempe post annum 1311. quo Concilium illud congregatum fuit, receptas, extendi non potuisse: ut notarunt Geminian. & Ancharan. in d. cap. cum ex eo, de excess. prelat. in 6. Bonacin. de excommunic. extra bull. dist. 2. quæst. 8. punct. 2. n. 4. vers. observandum tamen.

4 Tertiò supponendum est, quod ex constitutione Concilij Tridentini sess. 25. de regular. cap. 3. nova monasteria sine consensu Episcopi, & licentia ipsius erigi non possunt. Ultra quam constitutionem Sacra congregatio declaravit, necessariam esse in novorum monasteriorum erectione causæ cognitionem; necnon summi Pontificis permissionem ac licentiam. Quod etiam statuit Clemens VIII. Non tamen licet Ordinariis hujusmodi licentias concedere, nisi vocatis & auditis Prælati Conventualibus locorum, ubi ædificandum est, & aliis interesse habentibus: ut advertit Barb. lib. 2. sur. Eccles. cap. 12. num. 7.

5 Et quamvis pluribus Religiosis concessum fuerit privilegium à summis Pontificibus, nova monasteria ad libitum ædificandi omnia tamen familia privilegia revocata fuerunt per constitutionem Felice Record. Urbani VIII. sub Dat. Romæ die 28. Augusti 1624. quam ad longum inserit Tamburin. de jur. abbat. tom. 3. dist. 1. quæst. 1. quæ incipit Romanus Pontifex. Per quam fuit ordinatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis, servandam esse constitutionem sacrorum canonum & Concilij Tridentini, Clementis VIII. & Gregorij XV. circa novorum monasteriorum erectionem.

6 Quarta supponendum est ratione monasteriorum monialium, etiam ante dictam Urbani VIII. constitutionem, nempe ante annum 1615. ex speciali Sacre congregationis decisione statutum fuisse, ut illa erigi non possent, nisi de speciali sedis Apostolicæ indultu; & interveniente Ordinariorum consensu, necnon in locis muro cinctis: ut not. Barbos. in suis decis. apostol. in verb. monasteria monialium, collect. 504. num. 1. & 2. ubi alij DD. referuntur.

7 Quintò, considerandum est, quæ de novo monasterio ædificando dicta sunt, non procedere quando agitur de antiquo monasterio in alium locum transferendo: unde cum quidam conventus Ordinis Sancti Dominici, jam tunc à viginti & amplius annis in quodam loco ædificatus, consentiente Episcopo, totoque populo annuente, nec contradicentibus Religiosis Ordinis Sancti Francisci, tractaret de transferendo monasterium jam tunc extra civitatem in loco minus commodo ædificatum, ad locum commodiorem, & magis sanum: Respondi hoc licet fieri posse, absque nova licentia superiorum, nempe

Episcopi, & summi Pontificis: quod sic fieri posse testatur Barbos. lib. 2. de jur. Eccles. univers. cap. 12. num. 78. ubi dicit licet mutari posse conventum sanitatis causâ, è vallibus ad colles; quia hoc casu nullus novus acquiritur titulus, sed primus renovatur aut ampliatur. Idem tradit Mirand. in manual. prelat. regul. quæst. 33. art. 5. in 2. conclus. Hieron. Roderic. quæst. regul. 55. num. 10. Eman. Roder. quæst. regular. tom. 2. quæst. 49. art. 9. Portel. in dubiis regular. in verb. monasterium, num. 5. licet asserat ad istam mutationem requiri novam Episcopi licentiam; allegans ad hoc eund. Eman. Roderic. qui hoc dicit tom. 1. quæst. 23. art. 7. in fin. vers. notandum tamen, quamvis idem tom. 2. quæst. 49. art. 4. & Portel. ubi sup. num. 7. referat Sixti V. privilegium mutandi monasteria ad alium locum, sine Episcopi licentia.

His ita constitutis. Dixi Religiosos Sancti Dominici, non solum in possessione conventus jam acquisiti mantinendos esse; verùm etiam ad translationem ejusdem ad salubriorem locum admittendos, interveniente tamen consensu fundatoris, qui in priori loco fundare voluerat; vel hæredum ipsius una cum consensu & autoritate Episcopi, qui tanquam sedis Apostolicæ Delegatus, ultimas defunctorum voluntates ex justa, & rationabili causa commutare potest: ut disponit Concil. Trident. sess. 22. de reformat. cap. 6. & sess. 25. cap. 4. Barbos. de Episcopi part. 3. alleg. 83. num. 5. & 6. Vel si malint religiosi, recurrere poterunt ad Legationem, ubi id sine difficultate obtinebunt, cum sit conforme juri communi: per textum in cap. nos quidem, de testam. ex quo probatur, quod testatore mandante, monasterium construi in certo loco, si ibi commodè construi non possit, arbitrio hæredis & Episcopi, in d. & solo autoritate interponente Episcopo, si adit hæredis negligentia, in alio commodiori loco construi debet: & ita tradit Monet. in tract. de commut. ult. volunt. cap. 3. n. 78. Quod ad alios casus non est extendendum, ut dicemus cap. 68. num. 7. & 12. & cap. 113. n. 5. quia aliud est substantiam voluntatis, aliud accidentia commutari, veluti locum, & tempus, & similia; Moneta ibi, cap. 5. n. 336. & dicemus dicto c. 68. n. 12. post Mohedan. decis. 11. de Inreparatione, n. 2. Sin autem Episcopus debitè requisitus, commutationem illam justis causis innixam concedere recuserit: praxis communiter recepta est, ut ab hac denegatione appelletur, & causa appellationis coram Superioribus ad quos appellare licet introduatur.

Quod verò attinet ad oppositionem factam per Religiosos Ordinis Minorum sancti Francisci, qui Pontificio nituntur privilegio, ne quis propè eorum domos novum monasterium intra trecentarum canarum spatium per aërem mensurandarum, ædificare possit: Dixi illam recipiendam non esse. Quia privilegium hujusmodi, quod à Clemente IV. & Julio II. Minoribus concessum est, locum habet duntaxat favore illorum religiosorum qui mendicant; ne propter aliorum conventuum proximitatem, ipsorum elemosinis fiat præjudicium. Unde si dicti prædicatores ostendant se aliundè non mendicando vivere posse, privilegium illud non erit considerabile; cum nullum ex nova illa ædificatione Minoribus præjudicium inferri possit: ut in simili consideravit Rot. decis. 746. num. 1. part. 2. recentior. nam textus in d. cap. 1. de excess. prelat. loquitur de taxat de iis qui mendicant. Et hodie ex Concilio Tridentino Episcopi soli, hanc translationem conventus de loco ad locum facere possunt. Rot. decis. 193. num. 8. & 9. part. 5. recentior.

Similiter

- 10 Similiter, nullum præjudicium considerari potest pro parte fratrum Minorum, ex eo quod Christi fideles in nova Ecclesia possint eligere sepulturam, quam alioquin elegissent in Ecclesia Minorum, & in ea missas & anniversaria celebrari curassent. Quia cum versetur in facultativis, non potest aliquod nasci præjudicium consideratione dignum. Potest enim quilibet in Ecclesia sibi benefica opera pia exercere, & sepulturam sibi eligere: c. 1. de sepultur. unde intrat doctrina Bartol. in l. quo minus, n. 21. in fin. ff. de summi. Rot. decis. 745. num. 3. part. 2. recentior.
- 11 Unde sequitur non potuisse denegari translationem istam conventus ab uno loco ad alium, cum omnibus bonis primi conventus, quæ ad secundum pertinebunt: ut decidit Rot. decis. 193. n. 7. part. 5. recentior. per text. in cap. 2. de religiof. domib.



CAPUT XXIV.

Receptio Monialium ad professionem ad quem spectet, utrum ad Episcopum, vel ad Ordinis Generalem, Abbatissam, vel Monasterium seu Capitulum: Et quæ pro hujus professionis validitate requirantur.

SUMMARIUM.

- 1 Admissio religiosorum ad professionem, spectat ad superiorem immediatum illius conventus, ubi novitatus factus fuit; non autem ad mediatum.
- 2 Episcopus, aut Generalis Ordinis, non potest moniales solus ad professionem recipere, sine capitulo, & superiore immediato.
- 3 Non potest monialis in monasterio recipi, contra voluntatem capituli.
- 4 Atque ita Regia ordinatione sancitum est.
- 5 In recipiendis ad professionem monialibus, nec solius capituli, nec solius Abbatissæ consensus sufficit; sed requiritur utriusque.
- 6 In rebus magni ponderis consensus requiritur Prælati & Capituli, copulativè.
- 7 Moniales quarum numerus definitus est, ultra illum numerum recipi non debent; sed nec ultra monasterij facultates, si dotem non offerant.
- 8 Ante professionem emissam, sicut religiosus, ita & conventus penitere potest.
- 9 Novitatus debet esse continuus absque interruptione, maxime in monialibus.
- 10 Ad validitatem professionis monialium, plurima requiruntur tam de iure, quam ex Christianissimi Francorum Regis constitutionibus.
- 11 Professio monialium non potest aliter probari quam per scripturam.

Propositæ fuerunt sequentes quæstiones, pro parte cuiusdam monasterij Regiæ foundationis in Gallia, decidendæ.

Prima, utrum Episcopus, invita Abbatissa, jubere possit ut quædam puella ad professionem admitteretur.

Secunda, utrum sufficiat consensus Episcopi & monialium, sine Abbatissa.

Tertia, utrum in omnem eventum Abbatissa sit fundata petendo, ut dicta puella minimè recipiatur, nisi dotata congruè dote.

Ut facilius quæstiones istæ resolvantur, advertendum est in primis, quod jure communi inspecto, monachorum receptio ad conventum & Prælatum immediatum monasterij, in quo novitatus factus fuit, & annus illius completus; non autem ad alium superiorem mediatum pertinet: ut ex Navar. refert Sayr. in florib. decis. tit. 23. de regular. decis. 58. argumento cap. ad apostolicam, de regular. quod etiam voluit Gloss. in cap. fin. de regular. in 6. verb. peritiam, quam ibi sequuntur communiter Doctores. Ex quo præsupposito resultat resolutio primæ quæstionis. Non enim potest per se vel Episcopus, vel alius quilibet prælati regularis, sine conventu moniales creare vel recipere, nec Abbatissa vel conventui præcipere, ut ipsis invitis aliquam monialem admitant. Quod si faceret Episcopus, iusto cum gravamine, ab illius præcepto posset appellari. Lap. alleg. 22. Calder. conf. 16 de regular. quos citat & sequitur Mirand. in manual. prælat. regul. part. 1. q. 15. art. 1. in 3. conclus. Neque enim rationi consentaneum esset, ut Abbatissa & Monasterium, contra propriam voluntatem cogerentur admittere puellas ad eorum obedientiam, jurisdictionem & subjectionem: ut dicit Mirand. in tract. de monialib. q. 8. art. 1. Emen. Roderic. quæst. regular. tom. 3. q. 9. art. 2. Imò & monachus habiitum recipere non debet, nisi à persona ad id potestatem habente: cap. portectum, cum ibi notat. de regular. Quod & Regiæ ordinationi conforme est, in qua non ad aliud Episcopi requiritur autoritas in receptione monialium, quam ad explorandam puellæ voluntatem, eaque de causa per Episcopum, aut ejus Vicarium per mensem ante professionem faciendam moneri jubet.

Ad secundam quæstionem respondetur, neque solum Abbatissæ consensus sine conventu, neque solum conventus sine Abbatissa voluntatem sufficere, ut monialis legitimè recepta dicatur, sed utriusque copulativè intervenire debere: quod tanquam indubitatum supponit Gloss. in cap. fin. de regular. in 6. & sequitur Mirand. in manual. d. q. 15. art. 1. conclus. 2. Quia in rebus magni momenti, quæ est receptio religiosorum, Prælati sine Capitulo, vel Capitulum sine Prælato nihil facere possunt. cap. quanto, cap. novit, cap. ea noscitur, de his quæ sunt à prælat. sine cons. capit.

Ad tertiam quæstionem respondetur, tam ex dispositione Concilij Tridentini, quam de jure communi; in omnibus monasteriis certum debere assignari numerum monialium, juxta facultates reddituum monasterij, ultra quem non liceat ullas Religiosas admittere. Abb. in cap. quoniam, vers. in glossa prima, in fin. de Simon. Quod in casu proposito factum fuerat per transactionem olim inter Episcopum, & moniales initam; per quam numerus illarum ad duodecim reductus est, qui eo tempore completus erat, unde multò minus cogi poterant moniales ad puellæ illius receptionem, maxime sine dote: cum sit institutum monasterium, si facultates non suppetant, dotem petere & exigere posse. DD. in d. cap. quoniam, de Simon. Menoch. conf. 193. num. 4.

Verum, quia Dominus Episcopus prætendit cogere monasterium ad hujus puellæ receptionem, tanquam novitiæ, sed tanquam monialis jam admissæ: videndum est utrum hæc sit fundata præteritio. Et sanè non esse fundatam, fuit determinatum.

Non enim tanquam novitiæ potest admitti, ut jam probavimus: nec tanquam professæ, cum nullam completo professionem emisit, nec novitatum compleverit: & ideo sicut ipsa potest penitere, ita & monasterium illam reculare, ut sit par utriusque condi-